

annum in lecto retinens sine debita cautione ipsum exposuerit suffocationis periculo, quod ex natura sua grande periculum est, & sub excommunicationis ferendæ censura l. 2. cap. 4. in Dicecesana Synodo veritum, & ulterius rea sit suffocationis sequaræ, cum ipsam suffocationem, utpote sæpius admonita, prævidere debet, & præcavere; adhuc tamen, cum ex terminis casus habeamus, ipsam Cajam quidem manere Infantem in lecto mortuum invenisse, non autem ipsum Infantem data opera, & præmeditato, malo animo occidisse, nequit dici casum hunc sub reservatione venire homicidii voluntarii, studioseque patrati, de quo unice dubitare possemus; & consequenter ipsam Cajam à quocumque simplici Confessario absolvi posse dicendum est. Quod si attente, ut par est, advertent plures simplices Confessarii, non ita facile cogent poenitentes mulieres ad subeundum plurimum aliquando milliariorum iter, ut ad Poenitentiarios pro absolutione obtinenda accedant. Ita cum Homob. de cas. reserv. part. 2. cas. 3. except. 13. Girib. de poenit. c. 15. n. 65.

CAS. III. Parochus sciens Titium, qui ad Parochialem Ecclesiam confugit, reum esse proditoria occisionis, eum petentibus laicalis curiæ ministris, nullo facto verbo, concedit. Q. an stante certa scientia proditoris bene se gerat.

Respondeo negative. Quia licet reus proditoria occisionis Ecclesiastica immunitate non gaudeat, ut constat tum ex jure communi in cap. 1. de homicidio, tum ex Bulla Greg. XIV. juxta illud Exod. Si quis per insidiam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo velles eum, ut moriatur; extractio tamen à loco immuni fieri nequit nisi auctoritate Judicis ordinarii Ecclesiastici, & interveniente personæ ab eodem Judice deputatæ, ut in Congregationibus sub Clem. IV. & Bened. XIII. sancitum est. Si igitur Parochus Titium, qui ad Parochialem Ecclesiam confugerat, laicalis curiæ ministris, nullo facto verbo, concessit, etiam stante certa scientia circa patrata à Titio proditoriam occisionem male se gessit, ut ex dissertissima Instructione, quam de hac re edidit Eminentissimus Archiepiscopus noster sub die 25. April. 1735. satis fuse apparet.

MENSE DECEMBRIS

CAS. I. Cajus emit à Titio domum, ea conditione, ut quodcumque voluerit, ipse Cajus possit pretium, quod dedit, repetere, & restituere domum. Q. an iste contractus sit validus.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia nullo jure prohibitum est, ne pactum in emptione ponatur, quod in Venditoris gravamen, & Emptoris favorem vertatur, si gravamen venditori impositum majori pretio compensetur. Tale enim pactum nullam usuram continet, cum in casu non interveniat purum mutuum, sed vera emptio, ut clare colligi potest ex eo, quod si domus pereat, perit emptori, & si iste nolit retro vendere domum, nequit repetere pretium; qua de re dici nequit, Cajum dedisse mutuo pretium Titio cum facultate illud recuperandi pro libito, acceptis interim supra sortem fructibus, cum isti vere ipsi Cajo tanquam Domino domus debiti sint. Ita cum Rosign. de contract. prænot. 4. conit. 2. n. 1. & seq. Azon. part. 3. instit. mor. l. 8. c. 12.

CAS.

CAS. II. Petrus uxoratus patrat adulterium, inde mortua uxore, petit ad Sacros Ordines promoveri. Q. an tali promotioni aliquod obstet impedimentum.

Respondeo negative. Ratio est, quia dici nequit Petrum in casu bigamum esse bigamia interpretativa, & fictione juris, de qua dubitare unice posset; cum neque dicatur duxisse in matrimonium viduam; seu corruptam, neque secundum matrimonium, etiamsi invalidum, contraxisse. Cum itaque mulier, quam, durante matrimonio, Petrus ex adulterio cognovit, non fuerit ab ipso cognita affectu maritali saltem apparenti, & externe tali, dicendum est nullam incurrisse irregularitatem, per quam, soluto matrimonio, à suscipiendis ordinibus arceatur, cum ista irregularitas pro simplici uxorati adulterio expressa in jure non habeatur, ut in cap. nuper, & cap. debitum de bigam. perspicuum est. Ita cum Silvest. V. Bigamia n. 1. Cassian. à S. Elia V. Bigamia n. 17.

CAS. III. Duo Parochi valde vicini, quorum subditi in parvo numero sunt, frequenter, nulla facultate petita, ab eorum Parochiis per aliquot dies absentes fiunt; modo uno, modo altero absentis vices supplente. Q. an sine culpa hoc fieri possit.

Respondeo negative. Nam frequenter à Parochia abesse, est contra Parochorum statum, qui Residentiæ obligationem importat, ut ex Trid. & contra expressam Superiorum mentem, qui proinde variis poenis absentes sine debita facultate perstringunt. Si igitur absentia ultra triduum esse non debet, licentia in hac Dicecesi à Vicario Foraneo, & pro ipso à Parochio Seniore in scriptis obtenta esse debet; si ultra triduum, ab Ordinario, vel ejus Vicario Generali, ut Eminentiss. Archiepiscopus noster in Instructione à se edita sub die 6. Martii 1733. aperte præcipit, ac disponit, etiam neque parvus numerus subditorum neque supplementum Parochi vicini, sive alterius substituti sine obtenta in scriptis debita facultate à residentia excusent, vel reddant absentes à culpa, & poenis immunes, ut ex pluries datis Sacre Congreg. Decretis insuper laudata Eminentissimi nostri Instructione videre est.

ANNO MDCCXXXIX

MENSE JANUARI.

CAS. I. Obstetrix partui assistens, videns Infantem vix natum morte periclitari, digito in aqua lustrali madefacto eum in fronte signat, dum Baptismi formam profert. Q. an necesse sit prædictum baptisma sub conditione iterari.

Respondeo affirmative. Quocumque enim modo conferatur Baptisma ex tribus, quibus valide conferri potest, tanta semper aquæ copia requiritur, quantumvis parva, ut de ipsa certo verificetur, quod supra corporis partem, quam

quam tangit, aliquo modo decurrat, & fluat, cum sine hoc fluxu ablutio per baptismi formam significata nequaquam possit haberi. Cum autem per digitum in aqua lustrali madefactum, qua Obstetrix Infantis frontem signat, non habeatur certo ea aquæ quantitas, quæ ad dictum fluxum desideratur, eo quod tale signum in minima etiam guttula perfici nequeat; hinc, ne Infans dubio remanenti Sacramenti valore, summi irreparabilis damni periculo exponatur, iterum sub conditione baptizandus est. Ita cum Suar. de bapt. disp. 20. sect. 2. Rotar. p. 3. appar. 34. num. 10. Ron. tract. 2. c. 2. n. 11.

CAS. II. Berta, quæ voto simplici castitatis ligata matrimonium cum Titio contraxit, scit Titium maritum suum adulterium patrasse. Q. an petente marito teneatur à reddendo debito abstinere.

Respondeo teneri, donec Titii mariti delictum condonet. Ratio est, quia non remisso per Uxorem mariti delicto, ipse maritus privatur jure petendi, cui tantum in Uxore reddendi debitum correspondet; hoc autem posito, talis est Bertæ conditio, ut votum castitatis à se emissum integre servare valeat, proinde & teneatur, eo modo, quo simili voto adstrictus non potest reddere debitum intra bimestre ad deliberandum de meliori statu eligendo à jure concessum, quia tali tempore conjuges debitum reddere non tenentur. Dixi: Donec mariti delictum condonet: quia ex quo Uxor voto castitatis ligata sit, non per hoc privatur jure condonandi delictum mariti, quia proinde condonatione sequuta, in isto jure petendi, in illa reddendi debitum reviviscet. Ita cum Girib. de matrim. c. 19. num. 85. San. L. 9. d. 6. num. 14. & 15.

CAS. III. Clericus sponte docens pueros Communitatis elementa Grammaticæ quærit à Parocho, an sub pœna peccati eos simul fidei rudimentis imbuere teneatur. Q. Parochi responsum.

Respondeo Parochum debere respondere affirmative. Ratio colligitur; cum ex Leonis X. constit. 7. anno 1514. emanata, in qua §. 32. absque ulla distinctione leguntur hæc: „Statuimus, & ordinamus, ut Magistri Scholarum, & Præceptores, pueros suos, sive adolescentes nedum in Grammatica, ac cæteris hujusmodi instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent, ut sunt, præcepta divina, articuli fidei, &c. tum quia Sacra Concilii Congregatio huic dubio ad instantiam Archiepiscopi Spalatensis proposito: an scilicet Episcopus cogere possit Ludimagistros sive Clericos, sive laicos à nemine conductos, ut pueros suos Doctrinam Christianam edoceant: die 17. Julii 1688. expresse respondit: „Prius hortando, deinde præcipiendo cogere posse; tum denique, quia hoc id clare præcipiunt, & Clem. XI. in suo Edicto 13. Septemb. 1713. & Eminentissimus Archiepiscopus noster in sua Instructione 14. Octob. 1732. hac de re editis, per quæ omnia non nisi affirmativum esse posse Parochi nostri responsum, dicendum est.

M E N S E F E B R U A R I I

CAS. I. Cælius impubes matrimonium, quod de præsentibus contraxit cum Helena, hac post aliquot dies è vivis erepta, vellet cum Titia ipsius Helenæ sorore inire. Q. an aliquod obstet impedimentum.

Res-

Respondeo affirmative, licet enim Matrimonium impuberum, malitia non supplete ætatem, à jure sit irritum declaratum, eo quod præsumatur defectus iudicii, atque consensus requisiti ad sic contrahendum; adhuc tamen tale matrimonium ex c. unic. de spons. impub. in sponsalia resolvitur, quia jus præsumit impuberes velle se obligare eo modo, quo possunt, & proinde, si nequeunt se obligare ex adducta ratione vinculo matrimonii, præsumit velle se obligare vinculo sponsaliorum, nisi ex mente ipsorum contrahentium expresse constet oppositum. Hinc, cum ex sponsalibus validis publicæ honestatis oriatur impedimentum, quod in primo gradu dirimit matrimonium, dicendum est Cælium nequaquam posse matrimonium cum Titia Helenæ sorore inire. Ita cum Bon. de matr. q. 2. punct. 9. n. 51. Girib. c. 13. n. 32. Lacroix Lib. 6. p. 3. n. 52.

CAS. II. Franciscus Paterfamilias, cum ob temporalia negotia dissidium aliquod habeat cum proprio Parocho, puerum ei recenter natum alteri Parocho baptizandum defert. Q. quid sit de Francisco, & alieno Parocho baptizante sentiendum.

Respondeo, sentiendum esse Parochum, & Franciscum se male gessisse. Ratio est, quia licet Baptismus conferre non sit actus jurisdictionis respectu illius, qui suscipere debet Baptismus, cum ante hujus susceptionem nemo Ecclesiæ subijciatur, est tamen actus habentis jurisdictionem circa fideles, quibus ille aggregandus est, qui Baptismus ipsum proxime est suscepturus. Hinc, cum talis sit ordo prædictæ jurisdictionis, ut quilibet Parochus tantummodo in populum sibi commissum eam valeat exercere, ut ex cap. placuit, cap. nullus, aliisque pluribus compertum est, sequitur Parochum nostrum se male gessisse, & quidem graviter, puerum baptizando, qui pars est populi spectantis ad alterius Parochi jurisdictionem. Ita pro Parocho sentiendum est, nisi aliter ex consuetudine, & usu permissum sit, vel nisi ignorantia eundem excuset. Licet autem hæc ignorantia facilius excusare possit Franciscum, eo quod Parochorum jura scire non teneatur, adhuc ab omni culpa non est censendus immunis, cum agendo, ut in casu, specie quadam vindictæ, & injuriæ in proprium Parochum agere videatur. Ita cum Rotar. de bapt. cap. 4. num. 35. Lacroix L. 6. p. 1. num. 274. Barbos. de offic. & potest. Parochi p. 2. num. 18. num. 7.

CAS. III. Capellanus recenter electus in ruralem Parochum, gaudet, quod ex immemorabili consuetudine in ejus parocchia non fuerint à decessoribus Parochis institutæ conciones, quia, cum sit rudis minervæ, putat sic excusari, si eas non habeat. Q. an vere à culpa, conciones non habendo, excusetur.

Respondeo negative. Ratio est, quia ex una parte Concil. Trid. sess. 5. c. 2. de refor. divinum exponens mandatum aperte omnibus animarum curam habentibus præcipit, ut diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus commissas sibi plebes pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis. Cum autem ex alia parte non solum idem Concilium post supradicta damnet quæcumque consuetudinem, quæ decreti à se expositi executionem valeat impedire, sed insuper Innoc. XIII. & Bened. item XIII. Summi Pontifices in datis super hoc negotio Bullis districte præcipiant, ut non abs-

N

tan-

tante prætextu oppositæ immemorabilis consuetudinis, quam pravam vocant, adhuc supradictum Concilii decretum de salutaribus Verbis statutis diebus ad populum per Parochos habendis inviolabiliter observetur; nihil est, per quod Parochus noster à culpa, & quidem gravi, valeat excusari.

M E N S E M A R T I I.

CAS. I. Mulier proprium infantem lactans, alterum lucri causa lactandum recepit, qui defectu lactis pro duobus lactentibus non sufficientis viribus paulatim destitutus moritur. Q. an dicta Mulier graviter peccaverit, & ad aliquam receptæ pecuniæ restitutionem teneatur.

Respondeo cum distinctione. Vel dicta Mulier advertit se sufficientem pro duobus lactentibus lactis copiam non habere, proindeque ex ipso lactis defectu provenire vitium destitutionis in puero, quem lucri causa lactandum suscepit, vel nullo modo prædicta advertit. Si hoc secundum dicatur, & simul dicta mulier, quam debuit, diligentiam adhibuit in prædicti pueri cura; nec peccati alicujus rea, nec nisi juxta regulas possessoris bonæ fidei alicui restitutioni obnoxia censenda est. Si autem nutrimenti defectum, & ex hoc gravem pueri languorem prævidit, vel, ut contingere etiam solet, debitam diligentiam in eodem puero nutriendo, & curando omisit; tunc & ipsam Mulierem veluti homicidii ream graviter peccasse, & ne lucrum ex violata justitiâ reportet ad instar malæ fidei possessoris ad restitutionem receptæ pecuniæ, non quidem integræ, sed juxta prudentium judicium taxandæ teneri, dicendum est. Ita communiter.

CAS. II. Parochus judicans nullum dari irreverentiæ periculum Parochiano amenti ad extremum vitæ deducto, Viaticum Sacrosanctum præbet. Q. an bene se gerat.

Respondeo cum distinctione. Si Parochianus à nativitate amentis est, nec aliquid unquam de admirabili Eucharistiæ Sacramento cognovit, male se gessit Parochus, quia perpetuo amenti, sive in vitæ decursu, sive in mortis articulo, etiam si nullum timeatur irreverentiæ periculum, ex laudabili Ecclesiæ consuetudine sacrosancta Eucharistia porrigenda non est; cujus ratio esse posset, quia ex una parte perpetuo amentibus, sicuti parvulis hoc Sacramentum ad salutem necessarium non est, & ex alia, cum distinguere, nesciat communem cibum à Sacro, nequeunt huic reverentiam aliquam, ut valde conveniens est, ex interna fide, ac devotione exhibere. Si autem Parochianus tantum post rationis usum incidit in amentiam, aut lucidis aliquando gaudet intervallis, quibus & excellentiam Sacramenti dignoscere, & aliqua animi dispositione ad idem recipiendum se valeat præparare; tunc nisi aperte constet ipsum incidisse in amentiam lethali irremediabile peccato, neque unquam hoc retractasse, eidem Sacrosanctum Viaticum porrigendo, Parochum nostrum bene se gerere, dicendum est; quia, si dum fuit, vel est aliquando mentis suæ compos, apparuit, vel apparet in ipso Parochiano erga hoc Sacramentum devotio, summo hoc bono privandus non est, posito semper, quod ex circumstantiis amentis, vel ex consuetis experimentis prudenter credatur nullum dari irreverentiæ periculum, ut in hypothési nos-

tri casus exponitur. Ita cum D. Thom. 3. p. q. 80. art. 9. Roncag. de Sac. tr. 4. c. 7. num. 4. Girib. de Euch. tr. 4. c. 8. n. 10. & 11. alii- que comm.

CAS. III. Ut venationi cæteroquin licitæ possit ruralis Sacerdos summo mane incumbere, solet Missam celebrare hora ante Auroram. Q. an graviter peccet.

Respondeo affirmative. Ratio desumitur sive à decima quinta Missalis Romani rubrica præscribente, ut tempus celebrandi Missas privatas ab Aurora incipiat, ad meridiem terminum sumat, sive ex Ecclesiæ consuetudine præsertim in Italica regione nostra ubique recepta, quas generalis rubricæ, & legitimæ consuetudinis regulas sine peculiari privilegio vel urgenti motivo, infringere nemini unquam licere, compertum est. Quamvis autem non ita strictim sumendum sit Auroræ initium, & Meridiei, ut nequeat etiam Missa tertia horæ parte ante Auroram, incipi, & post meridiem terminari, quemadmodum Summi Pontifices Benedict. XIII. & Clem. XII. feliciter regnans in eorum Edictis hac de re editis explicarunt, tanta nunquam erit licitæ venationis honestas, ut Sacerdotem nostrum hora ante Auroram proprio arbitrio celebrantem à gravi culpa excuset. Ita communiter Auctores de Sacrificii tempore agentes cum D. Th. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2.

M E N S E A P R I L I S.

CAS. I. Parochus non vult in Paschate Parochianum suum ad Communionem admittere, quia de injuria clam sibi illata veniam non petit. Q. an sit de justitiâ laudandus.

Respondeo negative. Vel enim Parochus Parochianum, à quo clam injuriam accepit, à Sacra Synaxi publice rejicit, & sic graviter famam parochiani sui lædit, ad quam salvandam oculis peccatoribus publice petentibus Sacram Communionem denegandam non esse Theologi docent; Vel occulte eidem Parochiano prohibet, ne ad altare faccedat, priusquam de injuria sibi illata veniam petierit; & pariter, cum sic agendo pastoralis abutatur jurisdictione, & loco dimittendi ex corde injurias, ut boni pastoris est, de eisdem potius vindictam sumere videatur, nequaquam potest de justitiâ laudari. Denique ratione temporis paschalis quo non accedentes ad Sacram Synaxim, ab ingressu Ecclesiæ publice interdiciuntur, parochiano prædicto, & publicæ famæ dispendium, & gravia alia damna incurrerent, quod utpote semper privata injuriæ reatum excedens, justum nunquam esse, dicendum est. Ita cum Tambur. cap. 6. de communionem §. 2. num. 10. Maderno quest. 5. art. 9. num. 3. Girib. de sacram. cap. 6. num. 21.

CAS. II. Vidua pauper eodem in lecto dormit cum filio suo adulto, eo quod modum parandi alium lectum non habeat. Q. an hoc possit in casu licite fieri.

Respondeo. Si talis cubandi modus aliquam præbet matri, aut filio proximum peccandi occasionem, ex qua proinde frequentes lapsus sequuntur, certum est separationem quocumque modo esse faciendam, cum omni præcepto prædictam peccandi occasionem etiam vitæ nostræ dispendio, quando

alia remedia utilia non sunt, fugere teneamur. Si vero ex dicto cubandi modo nulla sequitur offensus Dei; vel non nisi valde raro hoc accidat, eo quod tam mater, quam filius conscientiae bonae praesidio muniantur, & spiritua- lia adhibeant remedia, quibus tentationum vires solent extenuari; tunc ur- gente expositae necessitatis motivo, licite fieri posse, quod alias illicitum foret, dicendum est: nam ad fugiendam remotam peccandi occasionem, qualis in hypotesi esset nostra, grave subire incommodum, quale esset ex- gr. supra nudam humum, vel tabulam cubare, nulla sive Divina, sive Ec- clesiastica lege obstringimur. Ita cum Girib. de Pœnit. cap. 10. num. 30. Lacroix de peccat. l. 5. num. 259. & seq.

CAS. III. Rusticus Juvenis tempore bacchanaliorum cum aliis suae æta- tis, & conditionis viris, ac foeminis solet interesse choreis in quibus fre- quenter patitur motus pravos. Q. an possit absolvi, si nolit à tali chorea- rum ludo abstinere.

Respondeo affirmative, stando terminis expositi casus. Licet enim choreæ, ut fieri solent, res sint plenae periculis; adhuc tamen, cum ex natura sua sint res indifferentes, & possit quis servato Dei timore eisdem absque culpa interesse, praesertim quando temporis circumstantia, urbanitas, & honesta societas aliquo modo id postulanti; dicendum est rusticum nostrum absolvi posse, etiam si nolit à tali chorearum ludo abstinere. Neque refert juvenem istum in praedictis choreis motus pravos frequenter pati, quia cum motus isti praebula quidem sint & incitamenta ad peccandum, non autem sint peccata, quando motus ipsos non quaerit, nec iisdem consensum praebet, ita ut morosa delectatione, turpi desiderio, vel opere peccet, quod casus noster non dicit; absolute indigne censendus non est. Ita cum Lacroix l. 5. de pecc. num. 264. & l. 3. de praecip. Decal. num. 887. §. 9. aliis- que communiter.

MENSE MAII.

CAS. I. Timens Parochus, ne infirmus, quem Oleo sacro inungit, ante peractas omnes unctiones decedat, inungit Capellano praesenti, ut inferiores sensus ungat, dum ipse superiores inungit. Q. an Sacramen- tum dicto modo valide, aut licite conferatur.

Respondeo affirmative quoad utramque partem. Ratio prima est, quia Sa- cramentum extremae unctionis ex pluribus unctionibus, verborumque for- mis particularibus coalescit, ita ut quaelibet unctio cum sua particulari ver- borum forma in ordine ad producendum suum effectum integram, & ab alia unctioe, formaque independentem habeat significationem, sicque vali- de potest tum successively, tum simul à pluribus Ministris confici. Ratio se- cunda est, quia posito Sacramenti valore, periculum ipsum, ne infirmus ante peractas omnes unctiones decedat, licitum reddit, ut eodem tempore, quo unus Minister superiores sensus inungit, alter, qui praesens est, infe- riores inungat, quamvis hoc extra necessitatis casum, utpote contra ritum, & praxim Ecclesiae fieri absque gravi culpa non possit. Ita cum Girib. cap. unic. n. 42. Dian. part. 5. tract. 3. resol. 88. Barbosa de Offic. Paroch. cap. 22. n. 8.

CAS. II. Confessarius ignorans ignorantia crassa quemdam casum esse re-

set-

servatum in Bulla Cœnæ, ab eo poenitentem absolvit. Q. an praedicta ab- solutio sit valida.

Respondeo negative. Ratio desumitur ex Trident. sess. 14. cap. 7. dicente, persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse, & verissimum esse, nullius mo- menti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Cum autem Confessarius noster, ut pro certo pono, nullam habeat jurisdictionem in pon- tificios casus Bullæ Cœnæ, dato quod poenitens ex prævia notitia censuræ illis annexæ in aliquem illorum inciderit, etiam si bona fide peccatum suum confessus sit, invalide est absolutus, nisi alia simul non reservata confessus sit, quibus directe absolutis, à reservato simul indirecte absolutus evadat. Ne- que ignorantia Confessarii aliquid prodest, ipsa enim utpote crassa reum quidem gravis negligentiae in addiscendis rebus ad proprium munus spec- tantibus Confessarium declarat: nullatenus vero poenitentem juvat, cum nulla ignorantia etiam invincibilis praebet Confessario jurisdictionem, ut poenitenti beneficium absolutionis per se valide impendat. Ita communiter cum Lacroix lib. 6. part. 1. num. 1548.

CAS. III. Titius electus in ruralem Parochum, tribus jam transactis annis, à sui Parochialis Beneficii possessione percipit, ejus parentes ipso inscio variis muneribus plura vota pro ejus electione à Parochianis obtinuisse. Q. Quo- modo sic electus sibi consulere debeat.

Respondeo. Quamvis quaelibet electio simoniaca ipso jure irrita sit, nisi vel sic electus expresse contraxit, vel ipso inscio ab alio in ejus odium peracta fuerit, ut ex cap. nobis fuit 27. & cap. sicut tuis litteris 33. de simonia aperte colligitur, ac proinde teneatur quilibet beneficium dimittere statim, ac percipit se fuisse simoniace electum; etiam si ipso inscio alii in ejus favo- rem hoc egerint; adhuc tamen cum Titius noster per triennium parochiale beneficium, ad quod mediis muneribus fuit electus, bona fide possederit, potest sibi consulere per regulam triennalis possessionis, & in ista sibi fa- vente quiescere, nisi sponte velit pro majore animi sui quiete eidem benefi- cio renuntiare. Ita cum Gomez de trien. possess. quaest. 12. Ugolin. trac. 4. cap. 6. §. 9. Suar. l. 4. de simon. cap. 57. num. 39. Giribald. de si- mon. tract. 6. dub. 3. Anacl. tit. 3. de simon. num. 278.

MENSE JUNII.

CAS. I. Berta Vidua saepe saepius desiderat Maritum vivum non propter opus conjugii, sed propter sustentationem familiae; at excitatis ex hoc aliquando venereis motibus, in iisdem turpiter delectatur. Q. an te- neatur sub gravi peccato dicta Mariti desideria vitare.

Respondeo negative. Ratio est, quia quamvis desiderium Bertae inutile sit, nullumque ex eo sibi, vel familiae expectare possit emolumentum; tamen per se malum non est, cum ad sustentationem familiae ordinetur, non vero ad excitandos in Berta venereos motus, cum isti, ut inquit casus, aliquando tantum contingant. Qua de re, cum per accidens sit, quod praedicti mo- tus, in quibus Berta turpiter delectatur ex desiderio Mariti saepe saepius re- pe-

perito excitentur, optimum quidem erit, ut Berta à dictis inutilibus desideriis absterneat, non tamen sub gravi culpa abstinere tenebitur. Eo modo quo si quis in ludo cæteroquin licito, cui sæpe sæpius dat operam, non nisi aliquando graviter irascatur, reus gravis culpæ censendus non est, licet nolit à tali ludo abstinere. Et ratio pro utroque casu est, quia res esset nimis ardua, & cui imbecillitas nostra impar foret, si omne id, quod nos aliquando ad peccatum inducit, sub gravi culpa fugere teneremur. Ita cum de Lugo de Pœnit. sect. 10. num. 150. Lacroix L. 5. dub. 3. num. 252. & seq. Girib. de Pœnit. cap. 10. dub. 1. num. 8.

CAS. II. Dum die festo pergit Parochus ad Altare Missam celebraturus toto populo spectante, monetur quemdam Parochianum duobus milliaribus distantem morte periclitari. Q. quid agere debeat, si Confessarius aliter desit.

Respondeo teneri differre, aut omittere Missam. Ratio est, quia ex una parte præceptum Confessionis in articulo mortis fortius est, quam illud audiendi Missam in die festo, & ex alia nullum imminet damnum non audienti sacrum in die festo, quando hoc absque ejusdem culpa contingat. Maximum autem damnum imminere potest illi, qui morti proximus ob defectum opportuni Ministri non confitetur. Ad vitandam interea populi admirationem, illum de casu negantis necessitatem Parochus admonebit, ut vel alibi adeat ad Missam audiendam, si commode hoc fieri possit, vel ibi expectet si forte tempus supersit post præstitum periclitanti subsidium, vel denique sciat se nullatenus peccare, si Missæ auditionem ob defectum Sacerdotis celebraturi omittat. Et ita agere debet Parochus noster, si Confessarius aliter desit, qui parochiano extreme indigenti valeat subvenire. Ita cum Lacroix L. 6. p. 2. num. 223. aliisque communiter.

CAS. III. Juvenis Famula, volens nubere, accedit ad Parochum, sub quo Patru sui domicilium reperitur, altero relicto, sub quo habet domicilium fraternum, quia, priusquam alteri serviret, in Patru Domo, non vero in illa Fratris vitam ducere consuevit. Q. an Patru Parochus sit prædicti Matrimonii assistens idoneus.

Respondeo affirmative. Quamvis enim per se loquendo in concursu duorum Parochorum, sub quorum uno Fratris, sub altero Patru habeat domicilium juvenis famula nubere volens, primus, non secundus sit ejus Matrimonii assistens idoneus, hoc tamen non valet in casu, quo ante famulatum eadem juvenis fraternum jam relinqueret domicilium, illudque Patru pro sua habitatione elegerit, ad quod proinde, excluso illo fratris, animum reverendi retinet, quotiescumque famulatum relinquit, nam cum in hoc casu fraternum domicilium de materiali se habeat, nullatenus ad prædictum Matrimonii celebrandi effectum debet considerari. Qua de re dicendum in casu nostro juvenem famulam ad idoneum Matrimonii sui assistentem Parochum accessisse. Ita cum Pignat. tom. 5. consult. 79. num. 3. Barbos. de offic. Paroch. part. 2. cap. 21. num. 34. & seq.

CAS. I. Joannes è secta Calvinii factus Catholicus dubitat, an valeat baptismus, quem in aqua naturali à Ministro Calvinista sub hac forma recepit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti secundum auctoritatem, quam tribuit mihi Calvinus. Q. à Catholico Ministro dubii solutio.

Respondeo. Cum Ecclesia Catholica semper ut validum approbaverit, & nunc quoque approbet baptismum ab hæreticis Ministris collatum quando retentis debita materia, & forma non deficiat intentio saltem generalis faciendi quod facit Ecclesia, ut ex Trident. sess. 7. can. 4. compertum est, valere baptismum, quod Joannes in casu nostro à Ministro Calvinista recepit, erit præsentis dubii solutio. Neque obstant verba addita formæ, illa etenim juxta naturalem sensum, quem habent, non videntur addita ad inducendam substantialem formæ necessariæ variationem, sed præcise ad significandam potestatem, quam Minister ex errore particulari à Calvino descendente se putat habere; quod Sacramenti valori nullatenus obest, nisi per eadem verba expresse intendit Minister non aliter Sacramentum conficere, quam per prædictam Calvinii virtutem, in quo casu nihil efficeret. Ita cum D. Thom. 3. p. quæst. 64. art. 9. Lug. de disp. 8. sect. 3. num. 1. Madern. de Sacram. quæst. 1. artic. 11. num. 15. Tambur. lib. 1. cap. 2. §. 1. num. 7. & 8.

CAS. II. Accusans se pœnitens de furto gravi, licet pluries interrogatus, non vult exponere Confessario quantitatem integram rei furatæ, ex quo in absolutum remittitur. Q. quis damnandus; pœnitens ne, an Confessarius.

Respondeo esse damnandum utrumque, sed magis per se loquendo secundum. Ratio pro primo est, quia cum non solum probabilis, sed tutior & magis pia sit opinio, quæ docet pœnitentem ad exprimendas in confessione circumstantias notabiliter in eadem specie aggravantes teneri, male se gerit pœnitens, qui obstinato animo integram rei furatæ quantitatem exponere, licet pluries à Confessario interrogatus, recusat. Ratio pro secundo est, quia sententia asserens prædictas circumstantias non esse necessario in Confessione aperendas, est pariter vere probabilis, utpote innixa sive Trid. Sess. 14. cap. 5. imponenti dumtaxat onus exprimendi una cum numero peccatorum circumstantias, quæ speciem peccati mutant, & asserenti nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi; sive auctoritati gravissimorum Doctorum, qui cum Angelico Præceptore sententiam eandem docent. Cum autem ex alia parte teneatur sub gravi Confessarius sequi sententiam vere probabilem pœnitentis, ut Theologi communiter tradunt, dicendum est Confessarium magis per se loquendo esse damnandum, qui eundem pœnitentem, nolentem exponere quantitatem integram rei furatæ, licet alias bene dispositum, in absolutum dimisit. Dixi, per se loquendo, quia si certæ quantitati rei furatæ annexa sit censura, vel reservatio, Confessarium nullo modo esse damnandum dicendum est. Ita cum Gob. t. 1. tr. 6. n. 280. Boss. p. 1. mor. tit. 1. §. 23. num. 225. Lug. de pœnit. disp. 16. num. 107. & seq.